



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 2. Quænam sunt filiæ Invidiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

Q. 2. *Quarum sunt filie invidia?*

Resp. Sunt 1. Odium. 2. Detractio. 3. Gaudium in malis proximi. 4. Susurratio, quæ est sermo, quo sine justa causa referatur alicui de alio aliquid aptum ad dissolvendam ejus amicitiam cum illo. Mortalis est contra justitiam, quia per illam grave damnum proximo injustè infertur. Nam quisque habet jus, ne per injuriam, seu sine justa causa privetur amicitia alterius, quæ est magnum bonum juxta illud Eccli. 6. *Amicus fidelis protectio fortis: qui invenit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla comparatio, &c.* Hinc illud Eccli. 28. *Susurro, & blinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes.* Ad susurrationem mortalem sufficit, quòd sine justa causa referatur alicui de alio aliquid aptum ad dissolvendam ejus amicitiam cum illo, licet referatur sine intentione eam dissolvendi; quia tunc ponitur injustè, & voluntariè causa dissolutionis amicitia. Quare susurro tenetur restituere, in quantum potest, amicitiam injustè ab ipso ablatam, & alia damna, inde secuta, perindè, ac detractor famam, cum sit causa injusta talium damnorum.

Alia sunt etiam mortalia ex genere suo. Unde ad Rom. 1. inter eos, qui digni sunt morte, recensentur. *leni invidia, mali-*

gnitate, susurriones, detractores, sine affectione; &c.

Q. 3. *Quanam sunt invidia remedia?*

Resp. Præter orationem sunt hæc 1. Considerare te non ideo minus habere; invidiam invidenti nil prodesse, nam non ideo alter carebit bono, quod tu invides, nec tu illud obtinebis, etiamsi eo careat: quin imò gravissimum inferre malum, privando invidum gratia, ac amicitia Dei, & beatitudine æterna: econtra gaudendo de bono proximi propter Deum, te mereri augmentum gloriæ æternæ, quod est bonum infinito majus omnibus bonis temporalibus. 2. Sæpe gaudere de bono proximi, quia est proximus, quem sicut te ipsum diligere debes propter Deum. 3. Gratificari ei, cui invides, illum laudare, orare Deum pro ejus bono, & gratias agere Deo propter beneficia ab eo in ipsum collata, &c. 4. Humilitas, & contemptus gloriæ, ac honoris humani. *Non efficiamur inanis gloria cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.* ad Gal. 5.

ARTICULUS VII.

De Acedia.

Q. 1. *Quid est Acedia, & quale peccatum?*

Resp.